

1431 quibus quatuor aliis adjectis, Senatus Silvestrum Maurocenum præfecit, mandatumque ei est, ut Ligurem quacunque versum flexisset, persequeretur, tutareturque maritimam oram cum ipso sinu.

*Carmaniola fides
apud Patres suspecta esse cœpit.*

Quum hæc mari gererentur, Picininus Monferraten-sium Principatu everso, in Cremonenses reversus, Turriculam & Bordelanum paucis diebus recepit. Sed id eo magis omnes mirati sunt, quo propius viciniorque Carmaniola copias habebat. Indignitate rei doloreque adacti Patrum animi, quod jam antea parturierant, tum de-mum parere cœperunt. Erant non pauci, quibus ab initio illius fides suspecta fuerat: ii aperte in Senatu vociferari, non modo non extinctam suspicionem illam olim de homine a se conceptam, sed ad eam diem vehementer etiam auctam, augerique propemodum in-dies amplius, quum nihil in eo viro cernerent, quod præter Imperatoris nomen non idem hostile, Veneto-que nomini inimicum esset. Alii non prius adduci po-tuerunt, ut in suspicionis crimen hominem devocarent, quam manifesta perfidiæ signa in eo extiterent. Retule-runt & ad Senatum nonnunquam publici Advocatores, redigendum esse hominem in potestatem, ac, si quæstio-ne adhibita, perfidiæ convinceretur, de eo supplicium summendum. Declaravit ea deliberatio, quæ diu te-nuit, quanta Venetorum Patrum in agendis sit rebus taciturnitas, quanta publicorum consiliorum fides. Evo-cato namque ad hoc Senatu, qui ex pluribus magi-stratuum ordinibus conficitur, quum ad primam facem Patres curiam ingressi essent, usque ad lucem ea con-sultatio protracta est. Erat tum Venetiis Carmaniola: qui dum mane Principem salutatum venisset, hilari fron-te ab eo ex curia exeunte quæsisse dicitur: *Matutina ne, an vespertina potius* (quia post cœnam non quievis-set) *uti deberet salutatione*. Cui subridens Princeps, *Senatum*, dixit, *magna animis volventem, pervigili illa disceptatione nihil tam frequens quam ejus nomen in ore habuisse*. Moxque, ne qua ex ea voce innascere-tur